

**Disputatio medica inauguralis de pneumonia ... / Eruditorum examini
subjicit Johannes Finn.**

Contributors

Finn, Johannes.
Baird, George Husband, 1761-1840.

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant Adamus Neill et socii, 1802.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/kyjn5ctv>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

61445/1°

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PNEUMONIA.



DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
PNEUMONIA;
QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO
GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
JOHANNES FINN,
HIBERNUS:

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

M D C C C I I.



Wellcome
Library

SYLVERIO MORIARTHY,

ARMIGERO,

PRÆFECTO CLASSIS REGIÆ,

NON SOLUM

REBUS MARITIMIS PERITISSIMO,

SED NON MINUS

LITERIS HUMANIORIBUS,

VITÆ INTEGRITATE,

ET MORUM URBANITATE,

CONSPICUO,

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. C.QUE

JOHANNES FINN.

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30382208>

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PNEUMONIA.

HIC morbus in species duas, Peripneumoniam, nempe, et Pleuritidem, ab antiquis divisus fuit; et omnes fere nosologi, sicut a CULLENO cel. notatur, eorum exemplum ad hoc nostrum usque tempus sequuti sunt. Inflammatio, quâ pleura costalis afficitur, illo,

A

ea

ea autem, quæ in substantia pulmonum parenchymatosa domicilium habet, hoc nomine ab iis nuncupata fuit. Morbum, quo, secundum veteres, pleura costalis tentata fuit, pleuram pulmones cingentem fæpius occupare, cadaverum sectione patet. Sed etiam si, duas, diversasque mali fedes esse concedamus, difficilime quidem distinguuntur ; et, quoniam species utraque iisdem medicamentis cedit, sub Pneumoniæ nomine de ea agere volo.

Definitionem sequentem tradit CULLENUS :

“ Pyrexia ; dolor in quadam thoracis parte ;

“ respiratio difficilis ; tussis.”

SYM.

~~~~~

### SYMPTOMATUM NARRATIO.

CUM stadio frigido morbus semper fere incipit. Omnia pyrexiae signa adfunt. In principio, pulsus validus, durus atque frequens est ; sed, in mali progressu, aut ubi symptoma infausti ominis jamjam exitium ferre certum videntur, mollis, debilis, irregularis fit. Dolor in regione thoracis admodum gravis, ægrotantem vexat. Inspiratione plenâ augetur ; pulmones enim haud facile dilatantur. Dolor raro fixus est. Nunc sternum, nunc dorsum, claviculamque adoritur. Sed costæ nothæ præcipue vix unquam vim morbi fugiunt. Nonnulli, viscera abdominalia aliqua,

qua, plūs, minūs lædi scribunt \*. Costā sextā, vel septimā, ubi malum graviūs urget, semel jam correptis, ibidem immobile regnat, et ab ipso ægro perquam distinctè percipi atque designari potest. Ponderis potius quām doloris sensus interdum sentitur. Partes eadem pœnas plerumque luunt : hinc tamen angor, a latere, scapulam versus, inde a sterno ad claviculam, et vice versā, sese sæpe diffundit. Tussis gravis atque terribilis hæc omnia consequitur, ægrumque absque induciis torquet. Sputa nonnunquam decolora evadunt, interdum sanguine tinguntur ; nunc spissa et purulenta, nunc viscida atque tenuia rejiciuntur ; inter tussiendum potissimum manifestantur. Ab ipso morbi initio, respiratio difficilis est, et sæpe quidem intolerabilis, nisi æger  
erecto

---

\* BAILLIE's Morbid Anatomy.

erecto fit corpore. Si super latere non affecto etiam forte decumbat, inspiratio plena sensum antea molestum magnopere auget, et in hoc, sicut in aliis morbis inflammatoriis, sanguis missus crustam coriaceam induit. Hoc tamen interdum non accidit, eoque medicos, ne decipientur, cautos esse oportet. Facies, oculi, faucesque, rubrum ostendunt colorem. Vultus anxietatem summam jugiter præ se fert. Oculi aquosi fiunt, et etiam suffunduntur. Lingua aret, mucoque viscido atque flavo obducitur. Anorexia, nausea, cephalalgia, querelas hafce nunquam non fere comitantur. Quum jam vires eò usque inflammatio acquirat, ut remedia nostra nil, aut parùm, prodeesse videantur, oculorum languor, delirium, coma interdum, extremitatum frigiditas, labiorum pallor, vel albor potius, pulsus debilis, celer, intermittens, respiratio difficillima,—hæc omnia citum mortis gradum prænunciant. Vribus

ribus tandem deficientibus, sudor circa caput  
pectusque tantum erumpit; nil diutius ex-  
puendo ejicitur; membra convelluntur; et  
suffocatio ægri miseriis coronidem imponit.

DE

## DE MORBI TERMINATIONIBUS.

PNEUMONIA vel in resolutionem, suppurationem, gangrænam, vel sanguinis serive in vasa bronchialia effusionem, semper definit. Morbus resolvi dicitur, quum pulmonibus, eorumque vasibus integris, sponte quasi cesset. Quòd ita quidem terminatur, etiam absque artis medicinæ auxilio, cadaverum sectionibus luculenter admodum colligimus. Nam in iis, quibus, aliorum morborum vi, vita erepta fuit, pleuram costalem inter, pulmonesque, adhæfio reperta est, quamquam, dum aures vitales carpferunt, eos pneumoniâ laborâsse, nemo unquam suspicatus esset. Attamen, cauti at-

que

que prudentis medici est, summis viribus niti, ut nil, quod ægro levamen afferre videatur, intentatum relinquat. Si morbus vim sponte remiserit, ante diem septimum hoc plerumque contingit; et, quoniam ejus violentiam, ægrique vires, hic semper respicere necesse est, resolutionis tempus fæpe variare observamus. Talis mali finis rarissime expectanda est, nisi evacuatio aliqua præcedat. Nil autem tantum secum affert levaminis, quantum sputum spissum, albidum, et leviter sanguine tinctum. Urinæ sedimentum copiosum dependentis profusio, fluxus sanguinis e naribus, vel vasis hæmorrhoidalibus, vel diarrhœa biliosa, resolutioni magnopere favere dicuntur. Si pulsus tardior evadat; si calor, aliaque symptomata vim suam remittant, faustam facilemque terminationem adesse plerumque sperare audemus. Quando pus in telam cellulofam, vel in parenchyma pulmonum effunditur,

ditur, morbus in suppurationem desinere dicitur. Hæc fane expectanda est, quum symptoma solita per quatuordecim dierum spatium remaneant, dolor diutius non sœviat, et, dyspnœâ adhuc ingente, expectoratio paululum tantùm augeatur. Horrores, sudores circa caput, cordisque regionem, tussis sicca, oppressionis et ponderis in thorace sensus, pulsus frequentior pleniorque, idem nobis designant. Suffocatio interdum subita, vel empyema, vel, quæ non minus timenda est, phthisis pulmonalis, hæc omnia sequuntur. Gangræna, ut a CULLENO cel. notatum est, rariùs quidem quam vulgè creditur, scenam claudit. Sed si semel inducta fuerit, exitium certissimum trahit. Cruciatus ægri subitò cessantes, spuma sanguine, vel materie quâdam nigrâ, mista, halitus oris fœtidissimus, oculorum suffusio, vultus tristis, sellæ plurimæ, virides, fœtore que ingrato, urina rubra sedimentum nigrum

deponens, gangrænam in limine ostendunt. Deficientibus interea viribus, debilitas summa sytema totum corripit; extremæ corporis partes frigent; dum delirium mite, tendinumque subsultus, ægrotantis miseriis finem tandem imponunt. Terminatio mali hujuscce quarta et usitatissima est effusio, quæ plerumque lethalis evadit. Vasis etenim pulmonum rupcionem passis, sanguinis vel seri pars in vesiculos hoc modo effusa, suffocationem nimirum facilè inducit. Signis sequentibus, forsan, talis rerum eventus haud malè notabitur. Vires subito imminuntur, facies fit livida, dum dolor omnis improvisò cessat. Intolerabilis oppressionis sensatio adeat, quum expectoratio interim nulla omnino fit. Bronchiis obturatis, hæc symptomata mors brevi subsequitur.

DIA-

## DIAGNOSIS.

HIC ab omnibus aliis morbis, pneumoniâ, quæ *notbâ* dicitur, exceptâ, facilè plerumque distinguitur. Pro Catarrho, tamen, interdum sumitur ; quando, nempe, symptomata admodum levia sunt, ita ut medicus, summo periculo jam imminente, tandem, et forsan serò nimis, accersatur. Ne decipiamur, singula rite perpendamus. Lateris dolori, inspiratio ne plenâ, tussique aucto, mentem præcipue adhibeamus. Si affectio hæcce, quanquam in principio haud gravis, absque induciis plus minus urgere progrediatur, morbi adventus maximè timendus est, eoque magis, quum respiratio

spiratio difficilis, pulsusque duri et validi  
sint.—Hepatitidem nonnunquam pneumonia  
æmulatur. Facilè tamen dignosci queunt.  
Nam in illa, saltem his nostris regionibus, nec  
dolor, nec pyrexiae signa ægrum tantopere  
vexant. Illâ insuper laborantes in latus af-  
fектum, dextrum scilicet, plerumque cubant;  
quum hâc tentati facillimè supini decumbunt.  
Tussis etiam sicca illam, humida autem hanc  
comitatur. In hac, angor perpetuò sedem  
mutat, sed in illa fixus manet, nisi quòd clavi-  
culam, humerique dextri summum versus af-  
cendit. Tensio denique dolorifica lateris ten-  
tati, tussis sicca, cutis nonnunquam flavedo,  
singultus, vomitusque, quæ omnia illam nun-  
quam non ferè comitantur, diagnosin eam in-  
ter et hanc manifestant.—Hanc etiam a Gaf-  
tritide, quam interdum imitari videtur, vomi-  
tione, singultu, tensione, doloreque epigastricu,  
et febre porrò typhoidea, utpote huic, gastri-

tidì

tidi nempe, semper adhærentibus, discernere possimus. Crucamentum partis thoracis finistræ, pulsus inæqualis et intermittens, palpitatione et syncope, quæ sunt Carditidis symptomata, hanc et pneumoniam bene discriminant. Hæc in animo si ritè volvamus, morbi, de quo agimus, distinctio fatis, ut opinor, manifesta apparebit.

**CAUSÆ**

## CAUSÆ PRÆDISPONENTES

FIBRIS muscularibus densis rigidisque corporis totius, sed vasorum pulmonalium præcipue, secundùm plerosque, tribuendæ sunt.

Juvenes, eosque medium vitæ curriculum agentes, sæpius quàm infantes aut senes, mares potius quàm fœminas, morbus adoritur. Rustici, præfertim si labore duro atque assiduo corpora exerceant, magis quàm otiosi ener-  
vatiq[ue], huic infortunio serviunt. Regionum illarum, quæ magnas frigoris calorisque vicis-  
itudines subeunt, incolas, potissimum aggre-  
ditur. Verno, igitur, autumnalique tempore,  
in terrarum orbis plagis his nostris similibus,  
ditionem

ditionem frequentius obtinet. Temperamen-  
tum plenum atque sanguineum etiam mali  
fundamenta aliquatenus jacet. Omnia, igitur,  
quæ tali corporis conditioni favent, morbum  
hunc, magna ex parte, inducunt. Inter hæc,  
vita nimis lauta, immodicus vini vel spiritûs  
ardentis usus, evacuationum solitarum sup-  
pressio aut imminutio, recensentur; quæ om-  
nia, quoniam diathesi phlogisticæ amica sunt,  
temperamentum jam dictum secum similiter  
ducunt. Aliorum morborum effectus, huic  
etiam homines magis obnoxios reddunt. Ca-  
tarrhus, pulmonum tubercula, variola et mor-  
billi, effectus tales post se relinquunt. Semel  
affecti citius quàm alii iterum corripiuntur.

## CAUSÆ

## CAUSÆ EXCITANTES

HAUD semper manifestæ sunt. In iis, etenim, qui ad morbum proclives inveniuntur, levissimæ quidem, vix ægris ipfis, nedum medico cognitæ, eum interdum excitant. Multò autem evidenteriores existunt, quum proclivitas in systemate non admodum valeat. Dupliciter in genere vim exercent suam. Imprimis, quæcunque pulmonibus ipfis applicata eos potenter stimulant, pneumoniæ ortum dare creduntur. Hæc sunt vapores acres, et veneno quasi imbuti, frigus, vel aër impurus, nimia pulmonum exercitatio, loquendo, canendo, vel instrumenta quædam musica inflando.

Dein,

Dein, ea, quæ partibus corporis externis adhibita, vim fere eandem possidere habentur. Ex his præcipua sunt vulnera pectori inficta; frigus, humiditate præsertim stipatum, corpori calenti admotum. Frigoris insuper actione, vasa externa constringi experientia nos docet. Sic enim, perspiratione imminutâ, fluidorum circumfeuntium quantitas augetur, impetuque eorum solito majore systema totum turbatur. Qui, conclavibus calidis exeuntes, cœlo frigido sese incauti objiciunt, si SWIETENIO cel. fides habeatur, temeritatis pœnas, hoc morbo impliciti, frequentissime luunt. Calor etiam frigori magno præcipue succedens, inter causas excitantes enumerantur.

## PROGNOSIS

NONNUNQUAM anceps est. Sed si remedia  
maturè adhibeantur, si symptomata non ad-  
modum fæviant, ægerque ab affectionibus  
aliis immunis sit, faustum morbi eventum spe-  
rare licet. Si aliqua resolutionis signa aedesse  
videantur, spes eò major accedit. Si certa-  
men dubium, feliciter tamen, definat, hoc  
primâ hebdomade plerumque contingit. Sed  
in casibus quibusdam mitibus, non nisi sub  
septimanæ secundæ finem idem interdum eve-  
nit. Terminationem felicem resolutioni tan-  
dem tribuendam, ad diem vicefimum quartum,  
usque, in quibusdam medicinæ factis protrac-  
tum

tum esse invenimus. Si sputa libera et copiosa, symptomata cætera mitia fint, somno reficiente fruatur ægrotans, plenamque inspirationem, absque incommodo, haurire queat, fitis et calor haud multùm vexent, tum quidem de eventu felici vix hærere possumus. Hæc malè ominari dicuntur. Pyrexia vehemens, delirium ferox, dolor thoracis pungens, qui se se latè diffundit, respirationem præpedit, at suffoque frequenti et molesta incrementum capat. Si spiritus insuper difficiliùs ducatur, adeò ut neque supinus, neque in latus miser decumbere valeat, periculum maximum imminet. Hæc autem pessimè nos sperare faciunt; facies turgida, sudores circa caput pectusque tantùm erumpentes, pulsus irregularis, expectatio multùm imminuta, aut nulla omnino, coma, stupor, et tendinum subsultus, quæ deinde scenam claudunt. Quando morbus exi-

tium

tium affert, inter tertium septimumque diem  
ægrotans plerumque morte mulctatur. Res  
tamen nonnunquam non ita se habet.

**METHODUS MEDENDI.**

PNEUMONIÆ mederi duabus methodis medici conantur. Vasorum igitur sanguiferorum corporis totius, sed præcipue partis inflammatae, vim auctam, primâ, imminuere ; secundâ, inflammatione aliquatenus subactâ, expectorationem promovere, tussimque mitigare, tentant.

Ut indicationis primæ compotes fiamus, venæfæctio, purgatio, et quæcunque diathefin phlogisticam subigere inveniuntur, diligenter adhibenda sunt. Sed sanguinis missio, ut inter auctores omnes convenit, omnibus generis hujuscemodi remediis meritò præfertur. Hi sunt ejus effectus. Fluidorum quantitatem minorem

rem reddit, vaseque ipsa relaxat. Sanguinis vim impetumque cohibet. Pulsus tardior atque debilior fit. Sed, quanquam hoc, in principio, remedium sit optimum, cautiùs tamen in progressu morbi usurpandum est. Quod in affectionibus quidem omnibus inflammatoriis, sic in hac etiam, optandum, ut sanguis vulnere fatis ample plenoque rivo effluat; unciæ etenim decem hoc modo detractæ, efficaciores esse reperiuntur, quām unciæ etiam triginta tardè et paulatim missæ. E brachio lateris affecti melius detractio fit, iterum iterumque, secundūm ægri vires, repetenda, si, missione primâ præcipue, respiratio minùs difficilis evadat, pulsusque interea durus et validus remaneat, dum crustâ coriaceâ manifestatur. Quòd ad quantitatem attinet, morbi violentia, viriumque ægrotantis ratio justa, hoc satis ostendent. Plerumque, haud desinendum est, donec cessaverit dolor. Parti dolenti cata-

plasmata

plasmata nonnunquam applicantur ; sed vesicatoria potiora sunt ; et, quoniam hæc venæfectionem minùs utilem reddunt, ea admovere non oportet, donec vena semel, bis, aut sæpius tundatur. Purgatio utilis est, non eò solum quòd febrem magnopere domat, verùm etiam quòd sanguinis impetum a capite atque thorace ad extremitates inferiores convertit. Ad hoc, sales neutri, manna et senna, plerumque administrantur.

Ad indicationem secundam jam pervenatum est. Medicamenta *Expectorantia* dicta, hic usurpanda esse videntur. Sed quoniam vix liquet quantopere hæc ægrum juvant, et, ob vim stimulantem, interdum etiam nocere possint, cautè porrigenda sunt. Diaphoretica summis laudibus a nonnullis celebrantur ; sed, ut a CULLENO cel. notatur, corpus nimiùm stimulant, atque calefaciunt : hæc igitur cautissimè danda sunt. Si aliquan-

do adhibeantur, fales neutri aliis anteponuntur. Horum effectus diluentibus, fine caloris auxilio, promovendi. Ad tussim sedandam, somnumque inducendum, opium maximè commendatur. Aquæ tepidæ vaporum inhalatio sœpe profuit ; ab eorum usu, tamen, abstinentum est ; tussim etenim augere videntur. Demulcentia, inter quæ extractum glycyrrhizæ numerandum, interdum profunt.

**F I N I S.**